

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Academiae Fridericianae Buetzoviensis Rector Et Senatus Academicus Civibus
Solemnia Natalitia Domini Nostri Jesu Christi Pie Celebranda Indicunt, Praemissa
Commentatione De Christo Hominum Fratre : [P. P. Sub Sigillo Academicico Ipsis
Feriis Natalitiis Christi Anni MDCCCLXII.]**

[Bützow]: Fritzius, [1762]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830119809>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830119809/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830119809/phys_0001)

DFG

via Rosdok als fund dupl.

71

572

Fa-1092 (n.)

- N. 1. Wippel Lubrius dicit Daniel Eremita.
 N. 2. Christellius singularia ostendit.
 N. 3. la prouidence ne sit interesse point à l'individu mais à l'espèce.
 N. 4. Tychera abbreviaturarum hebreicarum supplementum I.
 N. 5. Burckers de gaza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.
 N. 6. Ernesti de praesentia corporis et sanguinis Christi in coena sacra.
 N. 7. ~~Antonius~~ de Concilio Tridentino parr.
 N. 8. Stephanus Imp. Caroli ch. merita in rem suam.
 N. 9. Marthius de sapientia sanctissima rite collenda.
 N. 10. Psycher de delectu veterum ebraeorum dissertationis I.
 N. 11. Witte de genuina f. G. universali notione.
 N. 12. Boederlein de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte
constituendis.
 N. 13. Weidener quod salus aeterna non meritis nostris sed sola Dei
gratia, per meritum Christi acquisita nostra.
 N. 14. Dem Regenatus male regens et Sanctorum reditum ad Papiz.
mum fructu suadens.
 N. 15. Rufius de veri fidei spectatoris Christi acquisitione eti.
 N. 16. Zaacke de lege aequilibritate in natura obseruatam etc.
 N. 17. Schmid Verio Alessandrina optimum interpretationis librorum
sanctorum proecdium.
 N. 18. Richter de theologo Dei Romane ad 2 Thes. III. 10.
 N. 19. Schubert de iudicio Iosanii Calvini et Figurorum in causa
Procaristica.
 N. 20. Zachariae de usu dogmatico nominis filii Dei:
 N. 21. Emmerling interpretationis Vetus et Nov. 20-33.
 N. 22. Haeselmann de divina punctorum vocalium et accentuum
cori ebraici origine.
 N. 23. Haempsel de modo predictioris Paulinae per seipsum dicti
^{Col. II. 4-5.}
 N. 24. Dem de modo predicationis etc.
 N. 25. Haestius Bonaventura griseus dicit Augustinianus in manuscriptu Danie.
 N. 26. Christellius de vita Pamingorum commentarius etc.
 N. 27. Becker questionis an aeterna annihilationis hominum peccatorum
loci etc.

- N. 28. Rector et senatus academicus omnibus Academiae Fridericianae Bülow
N. 29. Iauozvius de poena hereticorum etc.
N. 30. Doederlein de vero vnu atque abusu rationis humanae in rebus divinis
N. 31. Dem de vnu atque abusu rationis etc.
N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales senatus etc.
N. 33. Rector et senatus academicus omnibus Academiae Fridericianae Bülow
enfir etc.
N. 34. Academiae Fridericianae Bülowensis Rector et senatus acade-
micus memoriam resurrectionis Christi etc.
N. 35. Dem solemnia natalia Domini nostri Iesu Christi etc.
N. 36. Zachariae Christus PCWOTOKOS EK TUV VENQUR.
N. 37. Rector et senatus academicus Bülowensis etc.
N. 38. Zachariae Christus PCWOTOKOS etc.
N. 39. Rector et senatus academicus Bülowensis etc.
N. 40. Markius de Juri prudentia diuina et codice sanctissimo.
N. 41. Becker an Dr. D. Telles nisi negata vera spiritus S. deitate etc.
N. 42. Dem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.
N. 43. Chrysander de fundamento explanationis Christi dominii maiestatis.
N. 44. Dem recentis scriptorum eruditorum
N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitearum.
N. 46. Trendelenburg de Iudaeis etc.
N. 47. Minnepurii zu Graubury Pastoral Episcopatu etc.
N. 48. Rector universitatis ad solemnia paschalia etc.
N. 49. Quistorp de ratione modique quo peccati fomei etc.
N. 50. Becker creationis universi gloria filio Dei etc.
N. 51. Quistorp de Novo Pauli (Cor. 1.5.)
N. 52. Pries de sanctis angelis et postolorum etc.
N. 53. Detharding de cura infantum recens ratorum penes etc.
N. 54. Martini de non vnu iudicij denuntiatori in e Megapoli.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUETZOVIENSIS
RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS
CIVIBUS
SOLEMNIA NATALITIA
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
PIE CELEBRANDA
INDICUNT,
PRAEMISSA COMMENTATIONE
DE
CHRISTO HOMINUM FRATRE.



TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.

ET ACADEM. TYPOGR.

ACADEMIAE LITERARICIVAE
BUREOVALENSIS
TUTOR ET SEMINARIS ACADEMICUS
CIPRIUS
SOLMIENSIS NATALIA
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
AD CHERKANOV
IN PONTE
TRANSLATIO COMMUNICATIO
CHRISTO HOMINUM FELICITATE

1715. JUNI. GOTTFRIED. G. R. PRINZ. VON.
ET ACADEMIA. LIBRARI.



Dies ob recordationem filii Dei ex homine humanaam induentis naturam solemnes redeuntes insignem demissionem, qua propiori nobiscum cognitione ipsoque fraterno vinculo coniungi non deditus est summis a nobis suspiciendus honoribus, laudibusque aeternis celebrandus filius Dei, in memoriam nobis reuocant, quo maxime humanae nostrae naturae auctam conspicimus dignitatem. Agite itaque, Cives Aestumatisimi, attentionem vestram dirigite paullisper ad hanc JESU CHRISTI cum hominibus coniunctionem, qua fratris ipsorum nomine compellari vult atque potest. Inspicientibus enim nobis libros instinctu diuino consignatos obscurum esse nequit, Deum hunc hominem factum non uno, sed variis

a 2

modis

modis vel omnium vel multorum vel paucorum hominum fratrem se ipsum vocare, atque nonnunquam etiam a praeconibus salutis per ipsum partae diuinitus actis nomine hoc adpellari. Quod eo minus a festis his diebus fore alienum arbitramur, quum, in ipsa humana a CHRISTO nostra caussa induita natura nominis huius propinquaque cognationis caussam aliquam idoneam inueniri, quisque facile sit perspecturus.

Non opus est vberiori multiplicis usus nominum *fratrum sororumque* in sacris litteris inuestigatione, quae apud alios reperitur, ex quibus vnicum tantum nominamus, qui ex instituto nominum istorum varios tam proprios quam impropios significatus collegit, DAN. FESSELIUM in *aduersariis sacris* l. V. cap. 11. 12. Rem ipsam itaque statim adgredimur. CHRISTUM igitur vel ob propiorem cognationem, quae ex humanae eius naturae ex MARIA ortu suam dicit originem, nonnullorum hominum fratrem vocari, vel ad alios etiam nulla gentis propinquitate cum eo coniunctos nomen illud trahi, vt vel soli vera fide ei adhaerentes vel omnes in vniuersum homines numero fratrum CHRISTI accenseantur, animaduertimus. Qui vere ex homine natus est homo, certe plures inter homines habuit arctiori cognationis vinculo coniunctos, quum omnes, qui matrem sanguinis propinquitate attingebant, etiam in cognatorum ipsius numero essent. Interim id magis dubium est, fuerintne ipsi cognati, qui eo sensu ipsius fratres vocari potuerint, quo ex iisdem prognati parentibus sibi inuicem fratres sororesque vocantur, et si germanos ex utroque parente fratres habere non potuerit, quum patrem inter homines non agnouerit germanum, ex MARIA virgine natus. Solent quidem etiam compriuigni sibi inuicem fratres dici, neque defuerunt inter doctores antiquiores & recentiores, qui JOSEPHO, coniugi MARIAE, filios ex coniugio praegresso, antequam MARIAM, matrem CHRISTI, in matrimonium duxerit, tribuerunt, atque hos

aliorum

28

CHRI-

* * *

CHRISTO compriuignos dedere, quos iis locis intelligi arbitrati sunt, quibus fratres CHRISTI memorantur, vt MATTH. XII. 48. XIII. 55. MARC. III. 31. VI. 3. LUC. VIII. 21. JOH. II. 12. VII. 3. 5. ACT. I. 14. 1 COR. VIII. 5. GAL. I. 19. At si argumenta inuestigamus, quibus hanc suam sententiam confirmare dant operam, parum iis effici animaduertimus, in primis si cum iis comparantur, quae huic opinioni recte opponi possunt. Arbitrantur enim, & ex nomine JOSEPHI, qui locis nonnullis producis simul pater CHRISTI vocetur, fratrū nomen esse explicandum, filios itaque JOSEPHI existimandos esse, qui fratrū CHRISTI nomine comprehendantur; & ex eo, quod matrem CHRISTI saepius sint comitati, JOSEPHI filios eos fuisse, MARIAE priuignos, fieri probabile. Legatur de his argumentis inter alios JOH. VORSTIUS in *Philologia sacra* c. III. p. 71. 72. Vtrique vero argumento nullum inesse robur, facile intellegitur. Certe sicut patrem non habuit CHRISTUS germanum, ex virili semine non genitus, ita etiam fratres ex vtroque parente germanos habere non potuit, quam ob rem sicut sensu consuetissimo CHRISTI pater vocari non potuit JOSEPHUS, ita etiam fratres eo, quem diximus, sensu habere non potuit. Et si cum patre ab hostibus cognitionem ipsi obiicientibus semper coniungi fratres dicis, fieri illud potuisset, etsi omnis eorum cognatio ex MARIA oriretur, quum, JOSEPHUM patrem CHRISTI germanum esse, adfirmarent, & in primis si filii ipsi non ex alia vxore, sed ex ipso eius cum MARIA coniugio post natum CHRISTUM nati essent. Alterum argumentum maioris non esse momenti, quisque facile sentiet probabilitatis argumenta rite ponderare intelligens, quod &, si aliquid ex eo posset concludi, maius robur haberet, si, ipsi MARIAE filios praeter CHRISTUM alias fuisse, probari debuisset. Maxime tamen huic sententiae illud aduersatur, quod fratribus his CHRISTI alii in sacris libris parentes attribuuntur. Sunt nimirum illi,



qui saepius cum patre matreque CHRISTI commemorantur, frates CHRISTI, JACOBUS, JUDAS, SIMON & JOSES, quorum notissimi sunt JACOBUS & JUDAS apostoli. Fratrem enim domini, JACOBUM, ecclesiae Hierosolymis congregatae antistitem, ab apostolo, qui *minor* discriminis causa a JACOBO, filio ZEBEDAEI, appellatus est, esse diuersum, quod plures veteres atque recentiores crediderunt, non existimamus, quod conuenientia eorum, quae de vtroque, antistite nimirum Hierosolymitano, & apostolo, ex noui foederis libris constant, locus ex, I COR. VIII. 9. & in primis ex GAL. I. 19. vbi idem, qui est frater domini & antistes ecclesiae Hierosolymitanae, inter apostolos numeratur, sicuti & c. II. 9. in eodem ordine cum reliquis apostolis collocatur, permittere haud videntur. Non igitur errabimus, si ea, quae de JACOBO minore, apostolo, dicuntur, de fratre JESU intelligimus. Patrem vero huic fuisse ALPHAEUM, constat ex MATTH. X. 3. MARC. III. 18. LUC. VI. 15. ACT. I. 13. matremque MARIAM, ex MARC. XV. 40. MATTH. XXVII. 56. LUC. XXIII. 10. quae eadem esse videntur cum CLEOPHAE vel vxore vel matre JOH. XVIII. 25. quem nonnulli eundem fuisse atque ALPHAEUS, alii ab eo diuersum existimant. Nobis quidem probabile videtur, CLEOPHAM illum ab ALPHAEO esse diuersum. Etsi enim LUC. XXIII. 9. non soli apostoli erant commemorati, sed *οἱ ἑνδέκα οἱ πάντες οἱ λοιποί*, postea tamen soli apostoli nominantur v. 10. & in primis PETRUS v. 12. atque pergitur: *καὶ οὖτις αὐτῶν*, nimirum ex apostolis. Ex quo colligimus, CLEOPHAM vnum fuisse apostolorum, in quorum numero plures quidem fuisse filiorum ALPHAEI, at non ipsum ALPHAEUM, certum est. Interim si CLEOPHAS ille aliquis fuit apostolorum, atque MARIA, vxor ALPHAEI, *Μαρία τοῦ Κλαυδίου* vocatur JOH. XVIII. 25. CLEOPHAS vhus ex filiis ALPHAEI fuisse videtur, cuius mater vocetur MARIA, sicut alias JACOBI & JOSIS

Ιων

* * *

7

JOSIS dicitur mater. Forte SIMON ille fuit, quem & NICEPHORUS in *catalogo episcoporum, qui Hierosolymis sedere, fratrem JACOBI, SIMEONEM CLEOPAM, nominare videtur, quem quanquam CLEOPHAE filium alii dicunt, arbitramur tamen, vel nominum similitudine ducentos, ALPHAEI & CLEOPHAE nomen idem esse, eos existimasse, vel tantum MARIAE appellatione, quae plerumque τὸν Αλφαῖον, semel vero τὸν Κλωπᾶ dicitur, in opinionem illam, CLEOPHAE filios esse SIMONEM & fratres eius, scriptores esse inducentos. Praeter alios CHRYSOSTOMUS & THEODORETUS ad GAL. I. 19. in hac sunt opinione. Tum vero cum HENR. VALESIO aliisque sentire non possumus, qui SIMEONEM, *Hierosolymae episcopum, a SIMONE apostolo distinguunt, quem eundem ALPHAEI filium fuisse, probabile est, et si hic vberius defendi illud nequeat. Ut itaque ad propositum redeamus, ex his satis appareat, vel JOSEPHUM patrem JACOBI esse non potuisse, vel ALPHAEUM vitricum eius tantum fuisse, quod admodum est improbabile, quum potius a patre germano, JOSEPHO, etiam ob propinquitatem, qua CHRISTO coniunctus erat, ALPHAEO celebriore, quam a vitrico fuisse cognominandus, atque, quum in priori coniugio duxisset JOSEPHUS vxoris sororem, MARIAM, adhuc mortis CHRISTI tempore superstitem, ab illa non nisi diuortio sciungi potuisse. Si itaque JACOBUS eo sensu frater CHRISTI esse non potuit, vt JOSEPHI filius fuerit, neque JOSES, SIMON & JUDAS, fratres JACOBI germani, hoc sensu fraterno vinculo cum eo coniuncti fuere. JACOBI enim hos tantum fuisse compriuignos, nullo probabili arguento euinci potest. Quam ob rem & JOSES eiusdem MARIAE filius fuisse dicitur, cuius JACOBUS MATTH. XXVII. 56. MARC. XV. 40. sicut etiam MARIA, vt ante diximus, CLEOPHAE, id est, SIMONIS mater vocatur. JUDAS vero, qui & LEBBAEUS appellatur, MATTH. X. 3. quemque cum LEUJI MARCO c. II.**


14.



14. & LUCAE c. V. 27. 28. memorato eundem esse arbitramur, quod vberius demonstrarunt THEOD. HASAEUS *Biblioth. Brem.* T. V. p. 475. seq. & S. V. HEUMANNUS in *Erklaerung des N. T.* T. I. p. 538. seq. filius eiusdem dicitur ALPHAEI. Non igitur probabile videtur, fratres CHRISTO tribui posse ex JOSEPHI cum alia vxore matrimonio. Neque enim in alio coniugio eum vixisse existimamus ante nuptias cum matre sanctissimi CHRISTI, & ante MARIAM diem etiam obiisse videtur.

Adhuc propiorem CHRISTO cum fratribus adscribunt cognationem, qui, JOSEPHO a matre CHRISTI, MARIA, filios esse natos post foetum hunc sanctissimum in lucem editum, existimant. Inter veteres in hac opinione fuit HELVIDIUS, indici haereticorum ideo insertus, atque ab HIERONYMO confutatus. Etsi itaque hanc opinionem tanta non esse arbitramur atrocitate, ut assentiens ei haereticus sit declarandus, neque impietatis accusamus eius defensores, in quo & BASILIUS *hom. de nat. Christi* T. I. p. 389. nobiscum sentit, probari tamen illam non posse, existimamus, quum in libris sacris nemo commemoretur, qui hoc sensu MARIAE filius aut CHRISTI frater possit vocari, neque alia nobis suppetant argumenta eamdem confirmantia. Aevo interim recentiori GUIL. WHISTONUS, *Anglus*, fratres JESU ante memoratos JOSEPHI & MARIAE huius filios fuisse putauit, in *Sacred History from the beginning of the World till the days of Constantine* Vol. V. p. 221. seq. JACOBUM ideo, fratrem domini, ab apostolo JACOBO minore fuisse diuersum, existimauit, quod vero, ut ante diximus, ei non concedimus, quam ob rem ALPHAEI eum aliasque MARIAE filium fuisse arbitramur, neque probabile videtur, si MARIA ipsa filios CHRISTO fide addictos & *Hierosolymae* habitantes habuisset, CHRISTUM eius curam moribundum JOHANNI fuisse commendaturum, quod reuera fecit JOH. XVIII. 26. 27. quam ob rem minori adhuc veri similitudine haec sententia nobis esse videtur.

Illud



9

Illud interim manifestum est, eos, qui locis modo alle-
gatis memorantur, ob cognationem CHRISTI fratres dici,
quum vbique inter cognatos CHRISTI recenseantur, aliisque
CHRISTI discipulis hoc nomine opponantur. Præterea fuisse
eos sororis MARIAE, matris $\sigma\alpha\tau\eta\rho\sigma$, filios, inde constat, quod
MARIA CLEOPHAE diserte MARIAE, matris JESU, soror
vocatur JOH. XVIII. 25. quod magis adhuc collatione cum
MATTH. XXVII. 56. & MARC. XV. 40. confirmari potest.
Nonnullis etiam JOSEPHI ex fratre nepotes fuisse videntur,
quum CLEOPHÆM fratrem eius faciant HEGESIPPUS apud
EUSEBIUM I. III. c. 11. & EPIPHANIUS *haer.* LXXVIII. Sed in-
signis in hac cognatione definienda deprehenditur confusio, vt
negare vix possumus, varios nominum paritate ortos esse erro-
res, ipsaque de CLEOPHA hoc opinones admodum a se in-
uiicem discedunt. Communi itaque opinioni accedimus, qua
illi, qui fratres eius dicuntur, consobrini CHRISTI fuisse existi-
mantur. Neque sorores ei tributas MATTH. XIII. 56. MARC.
VI. 3. proprius ipsi cognatas fuisse arbitramur, quas MARIAM &
SALOMEN dicunt EPIPHANIUS & THEODORETUS, ex JO-
SEPHO eas genitas esse, addentes, qui ex lege leuiratus CLEO-
PHAE fratris, quem itaque ab ALPHAEO diuersum existimant,
vices sustinuerit, quod vero varias ob caussas nullam meretur
fidem. Fratres itaque veterinos CHRISTUM habuisse, idoneis
probari non potest argumentis, illud autem ex superioribus in-
dubie constat, fuisse plures, qui proxima ipsi coniuncti erant
cognitione, qui *Hebraeorum* more fratres appellari solent.
Fratrum enim nomine non solum omnes interdum cognatos ab
Hebraeis esse comprehensos, constat, sed in primis etiam con-
sobrinis nomen hoc dari. Hoc sensu fratres se inuicem salutant
JOABUS & AMASA, ex duabus DAVIDIS sororibus, ZERVIA
& ABIGAËLE, nati 2SAM. XX. 9. coll. 1 PARAL. II. 16. 17.
filiique KISI vocantur fratres filiarum ELEASARI, consobrina-
rum suarum 1 PARAL. XXIII. 21. 22. Quo itaque eo certius


b

con-



constat, veram non solum CHRISTUM induisse humanam naturam, sed & induisse eam ex homine natum, nobisque in hoc etiam similem factum, quum homo esse potuisset, et si neque ex homine natus, neque sanguinis propinquitate cum aliis hominibus fuisset coniunctus. Admiramus itaque in hoc arctissimam cum hominibus coniunctionem, qui non eandem tantum naturam, sed sanguinem etiam eundem ex parentibus communibus trahere voluit, quam ob rem adsumtio humanae naturae a CHRISTO facta tam nostrae naturae quam nobismet ipsis, qui unnes ex uno parente communi trahimus originem, admundum est honorifica.


Si iudicia de hac CHRISTI cum fratribus inter homines cognatione consideramus, varia illa fuisse intelligimus. Ipse seruator sanctissimus illam sibi dedecori esse non est arbitratus, atque sine dubio familiarius cognatis suis vti non recusavit, quod neque inde colligi posse existimamus, quod cum fratribus conuersationem hominum institutioni de veritate salutari preferre noluit, quum aduenisse eos cum matre ei nuntiaretur. Qui enim matrem relinquit, vt in opus incumbat, quod a patre sibi commissum sciebat LUC. II. 49. hominum certe institutionem matris fratrumque prefereret colloquiis. Qui propter hominum salutem est missus, conuersatione cum iis, quibus sanguine est iunctus, impediri se non patietur, quo minus omni vztatur occasione, saluti hominum inferiendi. Qui propria spenit commoda, quum hominum potest commodis inferire, quique maxime est alienus ab ignauorum illorum hominum moribus, qui ex suis commodis vel incommodis, ex suaui suo vel molesto sensu omnes ad honorem Dei & aliorum salutem facientes labores dimetiuntur, fratrum consuetudinem huiusmodi non anteponet laboribus. Quum interim multum in Galilaea, in qua fratres eius habitasse est probabile, commoratus sit, frequentiori etiam cum fratribus conuersatione vsum eum esse, con-



coniici facile potest. Neque a cognatorum solemnitatibus abfuit, quum nuptiis etiam *Canae* in *Galilaea* celebratis cum matre & fratribus interesset JOH. II. 12. quas cognati alicuius fuisse dubitare vix possumus. Nonnullos enim propinquorum eius *Canae* habitasse, eo fit probabile, quod ipse SIMON, frater eius, *Cananita* vocatur MATTH. X. 3. MARC. III. 18. quo nomine solum ζηλάτου nomen exprimi vero haud simile videtur. Reliquis igitur hominibus etiam in eo similis fieri voluit, vt frequentius cum cognatis commercium non fugeret, atque propiorem cum iis cognitionem etiam, quod solemnes eorum dies frequentabat, testaretur, neque minus hominem ex homine natum pro fratribus homines agnoscentem se profiteretur. Neque honoribus, auctoritate vel opibus excelluisse eos, quos fratres agnouit, facile ex parentum CHRISTI humilitate & paupertate, atque ex abusu cognitionis huius ad contemendum eum apparet. Qui animo a CHRISTO fuere alieno, non eodem modo hac ipsius cognitione vtebantur, sed occasionem ex illa sumebant, spernendi eum atque contemendi, inter quos ipsorum fratrum eius nonnulli fuisse videntur. Non enim ipse CHRISTUS solum satis diserte in patria sua atque ἐν τῇ οἰκίᾳ ἀυτοῦ MATTH. XIII. 57. vel, vti MARCUS mentem copiosius explicat, ἐν τοῖς συγγενέσι οὐκ ἐν τῇ οἰκίᾳ ἀυτοῦ c. VI. 4. contemtum se esse ait, sed etiam fratres eius nonnulli in eum credidisse negantur, quod & ipsi sermonibus suis testantur JOH. VII. 3. 5. Quae si inter se conferimus, assentiri S. V. HEUMANO non possumus, qui ex his verbis non colligi posse putat, fratres non credidisse, sed tantum infirma eos fuisse fide magis adhuc confirmanda. Fratres enim non sunt nisi cognati, inter quos contemtum se esse ipse CHRISTUS conqueritur. Non vero fratres illos, qui eo iam tempore in discipulorum CHRISTI numero erant, intelligimus, sed alios, quum plures sine dubio cognatos praeter illos habuerit CHRISTUS. Illi itaque,

b 2

qui



qui non ex cognatorum numero fuerunt, atque forte maiore inter Nazarenos auctoritate polluerunt, humilem ipsi hac cognatione ortum obiicere voluerunt. Τέκτονες enim οἱον & τέκτονες eum appellant, ex quo facile coniicitur, ipsa fratrum sororumque mentione, ex familia tenui & paupere ortum eum esse, indicare eos voluisse. At qui ipsi ex hac erant familia, & praestantiam eius prae reliquis cognatis indignantur, & maiorem sapientiam, quam ob educationem habere non possit, falsis attribuunt causis, atque ne se meliorem eum fateantur, parem origine, ceterum peiorem indole eum fingunt. Qui itaque diuinam gloriam in humili forma humana habitantem admirari, qui honorem illum gratulari sibi debuissent ex tam propinqua cognatione cum celsissimo humanae salutis auctore oriundum, illi honore isto ad irrisione & abnegationem diuinae eius gloriae abutuntur. Illi denique ex fratribus CHRISTI, qui vera fide ipsi adhaeserunt, rectius dubio procul honorem istum, quo inter propius sibi sanguine etiam coniunctos numerare eos dignatus est, aestimare didicerunt. Quod eo confirmatur, quod ab aliis Christianis hac cum ipso cognatione distinguuntur, sicut JACOBUS a PAULO non apostolus, sed frater domini appellatur GAL. I. 19. quod honoris causa factum esse non dubitamus. Consuetum distinctionis nomen JACOBO illud fuisse, ex libris sacris deriuatum, patet ex EUSEBIO H. E. I. II. c. 1. I. III. c. 5. τὸν τοῦ Κυρίου λεγόμενον ἀδελφὸν, & I. VII. c. 19. ὃν καὶ ἀδελφὸν τοῦ Χριστοῦ χειριστίσας οἱ Σένι λόγοι περιέχουσιν, sicuti & ipse JOSEPHUS Antiquit. Jud. I. XX. c. 8. honorifico hoc nomine eum distinguit. JACOBO interim in primis nomen hoc datum esse videtur, vel quod fratrum natu maximus, vel eorum celeberrimus fuit. Quae enim de eius cum CHRISTO educatione refert EPIPHANIUS haer. LXXVIII. nimis sunt incerta, & multo magis, quae de similitudine formae CHRISTI & JACOBI feruntur. Ab hoc ob maiorem celebritatem alii etiam

iam fratres denominantur, sicut JUDAS non solum in libris N. F. historicis frater JACOBI vocatur LUC. VI. 16. ACT. I. 13. sed se ipsum etiam hoc nomine distinguit JUD. 1. quem vero τὸν κατὰ σάρκα λεγόμενον ἀδελφὸν Κυρίου EUSEBIUS 1.III. c. 20. & ἀδελφὸν Ιακώβου καὶ Κυρίου λεγόμενον EPIPHANIUS appellant. Sed plura de fratribus his ob sanguinis propinquitatem ita vocatis differere, vetat instituti ratio, quum plura adhuc supersint de fraterna CHRISTI cum hominibus coniunctione commemoranda.

Sine propiori sanguinis coniunctione ob communem tantum naturam ortumque ex homine non naturalem, sed citra viri opem, diuinae spiritus sancti operationi attribuendum, iure etiam omnium hominum frater CHRISTUS potuit appellari, neque potuit solum, sed voluit etiam pro egregia sua φιλανθρωπίᾳ. Consuetum enim esse scriptoribus sacris, hominum omnium inter se coniunctionem fraterna exprimere cognatione, quod omnes ab eadem stirpe orti, omnes communem habent naturam, omnes paribus humanitatis fruuntur iuribus, est indubium. CHRISTUM vero non minus fratrem hominum omnium recte posse vocari, ex HEBR. II. II. seq. colligimus. Etsi enim non negamus, hic de ἀγιαζόμενοις veraque fide CHRISTO addictis praecipue esse sermonem, quos fratres agnoscat, fraternitatis tamen caussae a PAULO memoratae non ex indole eorum per fidem orta, sed ex naturae humanae communione repetuntur, hinc ex indole sanctis cum hominibus omnibus communi, quam ob rem eodem iure hominum omnium frater potest appellari. Quum enim, fratres vocari CHRISTI homines, ex V. T. libris probauisset, cognitionis huius caussas allegat I) communem ab eodem parente originem, ab ADAMO nimirum. οὐ, τε γὰρ ἀγιάζων καὶ οἱ ἀγιαζόμενοι εἰς ἐνὸς πάντες. Qui itaque ab ADAMO descendunt, eam

b 3

ob


ob causam, quod CHRISTUS ipse humana natura ab hoc descendere voluit, fratres eius recte vocantur, ex quo, omnes homines ita ei esse coniunctos, sequitur. II) communem humanam naturam, tam secundum partes eius ipsas necessarias; Επεὶ οὖν τὰ παιδία κεκοινώνυμε σάρκος καὶ αἵματος, καὶ ἀυτὸς παραπλησίως μέτεοχε τῶν ἀυτῶν, v. 14. quam ob rem aliam praeter humanam naturam induisse negatur filius Dei, quum non angelorum naturam, sed posteris ABRAHAMI cum omnibus hominibus communem adsumserit v. 16. quam secundum conditions eius accedentes, quae sine peccato adesse possunt: ὅτεν ὦ φειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὄμοιωθῆναι v. 17. Quorum itaque naturam in personam recepit suam, eorum frater est factus, vnde, omnium hominum fratrem eum esse, constat. Ipse vero PAULUS nos admirari docet in hac CHRISTI cum hominibus coniunctione insignem eius ad homines demissionem, quum dicit: οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφὸν ἀυτὸν καλεῖν. Mirum enim in modum super homines omnes elatus eo descendit, vt pares sibi natura esse voluerit homines, neque eorum instar agat, qui ex familia humiliori orti & ad honores euecti ingentes spernunt eos, quibuscum communem habent originem, fratresque agnoscere nolunt. Non est celsissimus hic filius Dei secundum humanam naturam tantum hominum frater, sed fratrem etiam eorum se agnoscit, nomineque hoc hominibus honorificentissimo & dulcissimo vtitur. Qui itaque frater est omnium hominum ob originem & naturam communem, certe vera humana gaudet natura praeter diuinam illam, qua infinite super omnes res creatas eminet. Quid naturae nostrae maiori esse posset honori, quam quum ipse filius Dei, aeternis laudibus dignus, arctissime diuinae suae naturae eam copulauit? Quid magis nobis est honorificum, quam quod Deus ipse fraterno vinculo nobiscum iungi non repudiauit? Admiremur itaque ingentem φιλανθρωπίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ TIT.

TIT. III. 5. in naturae nostrae adsumtione egregie conspicuam.

Sensu vero praestantiori hominum nonnullos adhuc a CHRISTO fratres appellari in libris sacris, obseruamus. Non sanguinis propinquitate omnes CHRISTI discipulos cum eo coniunctos fuisse, certum est, quos nihil minus fratres omnes appellat MATTH. XXVIII. 10. JOH. XX. 17. verbis eiusmodi, quae satis probant, non eo, quo omnes homines, sed praestantiori quodam sensu eos fratres esse eius, qui maximus eorum erat dominus atque magister. Amoris signum nomine hoc a CHRISTO exhiberi, indubium esse videtur, quod tamen non nisi eo tempore, quo ex morte in vitam redierat, atque quum nuntiari iubet discipulis, ex morte in vitam se esse restitutum, discipulis singulari modo datum ab eo inuenimus. Quod itaque alio tempore nomine Φιλῶν exprimit JOH. XV. 14. suavi hic ἀδελφῶν appellatione exprimere videtur, atque simul caussam quamdam a patre communi desumptam addit JOH. XX. 17. Qui enim pater est CHRISTI, pater etiam est eorum, qui vera eum fide amplectuntur, et si sensu multum eminentiori illius, quam horum, quum ille filius eius aeterna sit generatione, hi ius filiorum Dei adoptione acceperint. Quam ob rem discipulos non alio sensu fratres appellat, quam quo omnes vera fide sibi additos fraterno nomine compellare dignatur. Quum enim discipulos suos aliis locis ostendens eos fratum sororumque loco sibi esse adfirmat, generatim quales sensu aliquo praestantiori fratres suos agnoscat, indicat, omnes, nimurum se hoc nomine comprehendere, Deo fide obtemperantes MATTH. XII. 48. 49. MARC. III. 34. 35. LUC. VIII. 21. Praeterea si CHRISTUS πρωτότοκος εν πολλοῖς ἀδελφοῖς PAULO vocatur ROM. VIII. 29. fratres etiam esse vere in CHRISTIUM credentes, nullum est dubium, atque ita hoc nomine eos vocari ob conuenientiam cum CHRISTO, qui ipse est imago Dei, ad cuius imaginem etiam restaurantur sancti omnes, atque ob communem haereditatem,



tem, quum eius sint συγκληρόνομοι v. 16. in quibus omnibus quidem CHRISTUS maxime praefstat, etiam secundum gloriam, qua humana eius natura post exaltationem perpetuo vtitur, quam ob rem etiam ipse primogenitus est inter fratres omnes, ipsoque iure pollet, fratribus reliquis imperandi, at reuera tamen similes eos sibi effecit ad imaginem suam renouatos, ad similem quoque gloriam eos ad vitae usque finem sibi similes perducens. Sin itaque cauñas quaeris, cur fratres pios appellat CHRISTUS, facile vides, ipsum praefstantiam suam infinitam, qua ipse aeternus est filius Dei patrique ὄμούσιος. non abnegare, neque in illa similes sibi pronunciare vera instructos fide, neque dominio sibi hominum μεσίτη tributo se abdicare, sed insigni hominum sibi obtemperantium amore ductum iunctos eos sibi fraterno vinculo sistere. Omnes nimirum sancti ipsi sunt fratres I) quod patrem agnoscent eundem, et si sensu multum inferiori, quippe quum summa filii Dei dignitas cum ipsa humana eius natura per diuinam sit communicata, quodque imaginem Dei referunt, quam etiam multo adhuc eminentiori modo referebat CHRISTI humana natura, hinc similes ei deprehenduntur. II) quod similes ei facti sunt mandatis Dei obtemperando, quum, quam ipse praefstitit, obedientia omnibus numeris perfecta ipsorum fiat imputatione, euangelii praecepsis obedientium, atque viribus diuinitus datis obediendi sincerum studium demonstrent. III) quod eos tanquam eiusdem gloriae participes considerat, quam haereditati comparat, seque haeredem principem, pios vero secum coniunctos συγκληρόνομουs esse, adfirmat. Interim ex ipsa hac summa omnibus in rebus praefstantia, demissioni etiam ingenti illud esse attribuendum, apparet, quum homines fide ipsi adhaerentes fratrum dulcissimo nomine compellat. Quam ob rem & primogeniti nomen iure tuerit, atque dominum possidet in illos, quos fratrum nomine salvare dignatur. Amorem itaque insignem, quo suos amplectitur, dulcissimo hoc nomine luculente demonstrat, sui amorem ins




iis inspirat, fiduciam eorum sibi conciliat, quum fratri instar uti eo possint, neque seuerus vultus iudicis regisque ipsis sit metuendus, sed in verbis atque promissionibus faciem adspectent serenam fratris ipso fraterno hoc vinculo se delectantis.

Nobis igitur, Ciues Aestumatissimi, insigni CHRISTI ex homine adsumta humana natura est honori. Nos enim, peccato a Deo longissime separati, rebelles facti contra summum Dei celissimi imperium, immorigeri erga aequissimas eius leges, recusantes dominum eum regemque summum agnoscere, quum aequales ei fieri stultissime sperauissemus, indignos itaque, qui ab ipso pro seruis filiisque agnosceremur, quique paternam eius curram pro salute nostra exspectaremus, quibus seuerissimus potius iudex ob poenas perpetuas erat metuendus, nos, inquam, non solum animum eius paternum redemtione ex miseria nostra experimur, sed & digni habemur, quibuscum arctius filius ipse Dei nostram induens naturam coniungeretur. Deum venerari nobis licet patrem in egregiis per filium Dei, fratrem nobis factum, nobis partis beneficii, Deum ipsum ob similitudinem naturae amoremque fraternalum fratrem amare nobis conceditur. Cuncta haec eius debemus natalibus, quibus se luculente illum exhibuit, quem similitudinis cognitionisque nostrae non pudeat, quibus ob naturae parem indolem paremque ex eadem stirpe originem omnibus ex hominibus-natis est coniunctus, quibus sanguine etiam hominibus nonnullis conditionis dignitatisque inferioris arctius copulari non est designatus, quibus opus illud incepit, quo iura filiorum Dei gloriamque suae similem nobis acquisiuit, quo ipse voluntate diuinae nostra caussa obtemperauit, nobisque spiritus sancti opera parauit, quibus studium viresque, obsequendi eius mandatis, acciperemus. Ipsa familiarior cum cognatis conuersatio sperare nos iam docet, nullum eum cum hominibus commercium spernere, quumque ob communem naturam homines pro fratribus agnoscat omnes, non est, cur dubitemus, serio eum cupere, arctius adhuc fraternalum illud vinculum

c

nece-





nectere, quām in iura filiorum Dei nos restituat, atque obediētia & gloria sibi similiores nos reddat. Digna haec sunt, Ciues, quae meditatione vestra diebus his festis complectamini, quibus natales CHRISTI laeta mente sunt celebrandi. Agite itaque, mentem auocate a variis omnibus nocuiisque cogitationibus, atque sanctis his vacate meditationibus, admiramini, quanto nobis sit honori admiranda haec filii Dei demissio, egregium hoc beneficium hominibus diuinitus datum recte aestimare discite, ut eo suauior iucundiorque vobis fiat doctrina solemniter praedicanda, JESUM, filium Dei unicum, nostra caussa hominem esse factum. Ne fugiatis consuetudinem cum θεανθρώπῳ hoc, attendite potius ad eius sermones, precibus familiarius eo vtimini, atque obedite eius praeceptis. Ipse enim hominum, quos fratres suos agnoscit, non spernit commercium. Discite naturam vestram in honore habere, ne peccatis eam polluentes ipsum honorem illum spernatis, quo communem sibi nobiscum eam esse voluit filius summus aeternisque laudibus celebrandus Dei. Fide potius fratrem hunc vestrum agnoscite, recteque confidere animo eius fraternali, & ex eo meritoque ipsius solo salutem exspectare discite. Quod si doctrina eius publice his diebus annuntianda obtinueritis, fructibus veris beneficij huius maximi vere potiemini.

P. P. SUB SIGILLO ACADEMICO
IPSIS FERIIS NATALITIIS CHRISTI
ANNI MDCCLXII.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830119809/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830119809/phys_0023)

DFG





Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0311

the scale towards document



23

e solche verbotene händel, seint straffwürdig, und dem sterworffen, dahin sie die Rüge: Männer bringen sollen: Verbrechen und fast unzehlig andere mehr, so wieder Gott und die moralischen Geseze streiten, so lange solche nicht her ärgernüss, und thathandlung aufzgebroczen, noch für mal Richter gebracht, seind bisshero nicht beachtet, noch für sünde gehalten, dahero die Bosheit mehr und mehr en, so dennoch durch die hülfe Gottes verhütet werden dieses Sitten- und moral Gericht, durch Bestellung der erumb wird stabiliret werden.

en aber die Rüger-Richter hieben aller bescheidenheit sich en, und unterscheid zumachen, unter schlechten Verbrechis menschlicher Schwäche geschiehet, und durch ohnachtsgangen werden, oder da zugleich Bosheit mit untermennt auch aus lautem Vorsatz, und malitz geschehen, den chaden, schimpff und Ungelegenheit zubringen, wiederumb rbrechen in conatu nur bestanden, oder zur that und würteschlagen, item ob die verbrechere und beleidiger zur Vere neiget, ihre fehler selbst bekennen, und verbitten, oder ob flich wieder glaubhaftie anzeigen verneinen, ihre böse tha chen gleich in Worten oder Wercken, zuvertheidigen, und n sich unternemmen, ob sie Besserung an ihnen zuspüren oder e mehrmahl schen, in einem und andern Laster betroffen, ret, und keine emendation geachtet, bey diesen und an nimmenden umbstenden die Mensur der Bestrafung zuneh arnach solche zulindern oder zuschärfen seyn wird; auch die Verbrechen so beschaffen, daß dieselben zur gesenck, und darauf erfolgende Bestrafung solten gedeien, ist dem Gericht, oder Fiscali davon bericht abzustatten, und die g zugewarten.

der Bestrafung seind auch die Gradus admonitionis, & Correctionis, nicht aus der acht zulassen, und solche für zuversuchen, weil dieses moral Gerichte, nicht, wie bei niali judicio gebreuchlich, mit Ketten und Banden, noch chwert geführet wird, müste aber in Contumaces einige nsura ergehen, so bannum Ecclesiasticum nach sich zöge, ist